



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117786

§. 12. Martyres in Cappadocia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

Sæculum IV. hoc promittentem, & multo magis promissum servantem, quippe Busiris, elevatis brachiis, immotus stetit, dum ferreis uncis discerperetur, tamdiu, quamdiu Prætor voluit. In carcerem deinde missus, ut de Juliani morte nuntiatum est, liberatur; abjurata hæresi ad Ecclesiæ Catholicæ sinum rediit, & usque ad Theodosii tempora vixit.

§. XII.

Martyres in Cappadocia.

Soz. V. c. 4.
Greg. Naz.
or. 3. p. 91.
or. 19. p. 303.
Soz. 16.

Ex Galatia Julianus perrexit in Cappadociam, ubi etiam quosdam Martyrium passos, præsertim Cæsareæ, illius Provinciæ Metropoli, legimus. Oderat hanc urbem Julianus, quod ferme tota Christianam fidem suscepisset. A multo jam tempore templa Jovis, & Apollinis, quos veteres incolæ civitatis tutelares Deos habuerant; solo fuerant æquata; unum Fortunæ sacrum supererat, quod Christiani novissime, regnante jam Juliano, prostraverant; hujus facti poenas a tota civitate expoposcit; eam ex civitatum ordine delevit, quamvis Provinciæ caput fuisset, voluitque, ut antiquissimo nomine Mazaca diceretur, illo Cæsareæ, quod ei Imperator Tiberius imposuerat, abolito. Paganorum ignaviam vituperabat, quod, quamvis modico essent numero, non vitæ potius periculum subire voluis-

Euf. Chron.
lat. an. 7.
Tiber.

voluissent, quam patienter ferre, ut For-
 tunæ suæ templum destrueretur. Urbis,
 & Territorii ejus Ecclesiis bona omnia
 tam immobilia, quam mobilia ademit,
 & tanta sævitia de bonis Ecclesiarum qua-
 stio habita est, ut ex conscis verum tor-
 mentis expresserit; rursus ab iisdem Ec-
 clesiis trecentas auri libras multæ no-
 mine exegit, quæ pecuniæ in ejus æra-
 rium paratæ fuerunt inferendæ. Cleri-
 cos omnes infimis ministris justitiæ, sub
 Prætore servientibus, adscripsit, quæ e-
 rat vilissima, & onerosissima militia. Lai-
 cos cum uxoribus, & liberis censi jus-
 sit, & tributa, in pagis exigi solita, pen-
 dere. Juramento affirmabat, nisi prom-
 pte Deorum templa restituerentur, ipsos
 pessima esse passuros; obedirent Galilæi,
 si vitam amarent. Omnes, qui demoli-
 tioni templi Deæ Fortunæ manus admo-
 verant, pœnam subiere; alii morte, alii
 exilio facinus expiare coacti. Inter il-
 los, qui propter hanc causam sanguinem
 dederunt, Eupsichius nobili genere or-
 tus, & paucorum dierum maritus, quem
 inter Martyres Ecclesia nona Aprilis colit,
 numeratur.

§. XIII.

*Eusebius Episcopus Cæsariensis in
 Cappadocia.*

Dianeus, Episcopus ejusdem urbis Cæ-
 sareæ

Sæculum IV.
 A. C. 362.

*v. Vales. hic
 in Soz. V.
 c. 4.*

Soz. V. c. II.

*Mart. Rom.
 Et ibi Baron.*

*Bas. Ep. 86.
 p. 919. Sup.
 saxeæ XIV. §. 24.*